

CONRADVS ABBAS IN SCHVTTEREN.



Conradus Frick Constantiæ natus atq; omni genere literarum educatus est. Is cum felici in genio esset prædictus, post prima artium fundamen ta in patria facta sese ad uarias Germaniæ Academias contulit, atq; in ijs magnam sibi eruditionem comparauit. Postea uero ut quietius uiuere posset, nobile monasterium Schutteren in Brisgaudia accessit, atq; Benedictinorum ordinem assumpsit. In eo loco cum modestè uiueret, omnium fratrū consensu anno 1518 abbas electus fuit. eam functionem is optimè administrauit, atq; fratribus gratissimus extitit. Erat Conradus magna prudentia & rara facundia insignis. Itaq; à finitimiis proceribus aliquo ties ad Maximilianum & nepotes Cæsares Legatus missus, ut suo nomine res magnas expediret. eas legationes Conradus pro communi utilitate libens su scipit atq; ob multas animi uirtutes Cæsaribus & Erasmo Roterodamo gratissimus extitit. Cum hoc modo nihil quod boni abbatis esset, omisisset, atq; per 17 annos ijs in locis præfuisset, tandem 1535 fato functus, in suo monasterio honorifice sepultus fuit. Eras. in Epist.